


IX





DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
DE
ANALEPTICIS
EORVMQVE VSV,

QVAM
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI,
PRAESIDE
DN. MICHAELE ALBERTI,
SACRAE REGIAE MAIESTATIS PRVSSICAE AVLICO ET CON-
SISTORII QVOD MAGDEBVRGI EST CONSILIARIO, MEDI-
CINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICAE SENIORE.

PRO GRADV DOCTORIS
SYMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS.

AD D. AVGVSTI MDCCXLV.

PVBLCICE DEFENDET

AVCTOR
SAMVEL GOTTLIEB PIETSCH,
GLOGAVIENSIS.

HALLE MAGDEBVRGICAE,
Imprimebat CHRISTOPHORVS PETRVS FRANCK, Acad. Typ.

DISSERTATIO

IN PARS MEDICAE

ANATOMIA

COMPLETAE CLINICAE ORDINIS MEDICI

DR. MICHAELIS ALBERTI

ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS

IN PARS MEDICAE

IN PARS MEDICAE

IN PARS MEDICAE

SAMUEL GOTTLIB HUTSCH

ALBERTI

HALLAE MAGISTER

Insuper Compositore Libros Praeceptorum





DISSERTATIO,
DE
ANALEPTICIS
EORVMQVE VSV.

Prooemium.



*S*i qua res medico scitu est necessaria, certe est usus medicamentorum. Cum enim praecipuum eiusdem in eo sit positum officium, ut sanitatem restituat amissam: media, quibus finem suum obtinere possit, eorumque adhibendi modum ut sciat, necesse est. Sed quanti a plerisque circa medicamentorum usum committan-

PROOEMIUM.

tur errores, experientia docet quotidiana. Vnus tot tantaque huic vel illi medicamento eiusque vsui tribuit elogia, que ab altero vel contemuntur, vel plane reiiciuntur. Id vero non est admirandum: pauci enim, de medicamentorum facultatibus, eorumque modo operandi sunt solliciti, & ad circumstantias, sub quibus sunt adhibenda, attendunt. Quo non potest fieri, quin peruersum huius illiusue medicamenti usum malus sequatur effectus. Et hæc fuerunt rationes, quæ me commouerunt, vt hoc de analepticis eorumque vsu elegerim argumentum: cum mihi specimen aliquod ingenii mei pro impetrandis honoribus doctoris fuerit elaborandum. Nihil, quod huc aliquo modo pertinere possit, conscius saltem omisi, & circumstantias, sub quibus remedium quoddam vires restaret, & hoc sine vsurpari possit, attingi. Ordinem in pertractando hocce themate eum sum secutus, qui præcipit, vt de nulla re loquar, nisi antea quodammodo explicata, & que sequuntur, ex antecedentibus colligi possint, iisque postponentur. Faxit diuinum Numen, vt in ipsius gloriam proximique salutem hic labor cedat. Beneuolum autem Lectorem, vt bene accipiat & iudicet de iis, qua disseram, rogo omni, qua decet, observantia atque humanitate.





§. I.

Quod corpus humanum tamdiu vel omnes omnino edat actiones, vel tantum quasdam, quamdiu viuere dicitur, ex experientia clarum est & perspicuum. Cum igitur nihil sit sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit, ratio quoque adesse debet, cur in hominis vita vel omnes omnino actiones, vel quædam tantum peragantur. Nunc id, quod mutationis vel actionis rationem continet sufficientem, est vis. Quam ob rem durante corporis humani vita vel omnium omnino eiusdem partium vires, vel quarundam saltem perdurare debent.

§. II.

Corporis humani vires nec durare, nec consistere possunt, nisi eiusdem tum solidæ, tum fluidæ partes sint integræ atque rite constitutæ. Quod si venæ sectione larga sanguinis emittitur quantitas, vires vsque ad animi deliquium decrescunt. Dum per abortus, vel & in puerperio solutis vteri valis sanguis vndatim profluit, magna exinde oritur debilitas. Et quantam virium iacturam sudores, diarrhœæ, præsertim si largæ fuerint, faciant, quotidianæ docent observationes. Et ex his satis superque adparere arbitror, corporis

poris humani vires a nimia sanguinis fluidorumque præ-
vtilium euacuatione debilitari, nec sine debita & sufficien-
te eorundem quantitate consistere & durare posse.

§. III.

Verum est, ad corporis humani vires ex parte requiri de-
centem fluidorum quantitatem (§. 2.) sed illa non sola sufficit.
Ponamus enim, hominem sufficiente, fluidorum quantitate
esse instructum, ita tamen, vt non debitam possideant mix-
tionem, & certe adfirmare audeo, illum nec functionum
integritate gaudere, nec vires eiusdem esse rite constitutas.
Quod si enim fluida non decenter sunt mixta, bonus, quo
corporis humani partes nutriri & conseruari possunt, suc-
cus nutritius elaborari nequit, & quomodo exinde vires ad
actiones suas peragendas acquirere possint, facile est perspe-
ctu. Experientia quoque, ni fallor, hoc confirmat: dum
enim corpus frigida & mucosa cacochymia languet; torpor,
hebetudo & in motibus muscularibus exercendis impoten-
tia sæpissime oritur. Ex quo satis superque liquet, quod
corporis humani liquida legitima prædita esse debeant mix-
tione, si vires eiusdem durare & consistere debent.

§. IV.

Si vel maxime humores optime sint comparati, &
in debita adsint quantitate, nihilominus tamen quiescent,
& homo vel animo liquetur, vel plane peribit, nisi sufficiens
in corde & vasis adsit elater. Cum vero animi deliquium
sine virium imminutione fieri nequeat & mors plenariam
earundem sublationem supponat: ad virium integritatem
legiti-

legitimam vasorum elasticitatem & debitam eorundem in fluida contenta actionem pertinere nullum est dubium.

§. V.

Ex obseruationibus & experimentis medicorum notum est, neruo ad partem quamdam corporis humani abeunde non rite constituto, vt presso, ligato, obstructo, vel se nonnullorum opinionem eiusdem partis influxu liquidi neruei impedito, vires ad actiones peragendas consuetas deficere, vel plane auferri, aliquo documento, spirituum sic dictorum neruosorum debitam quantitatem, & in partes corporis humani influxum ad virium presentiam requiri.

§. VI.

Cum ad virium in corpore presentiam debita humorum quantitas eorumque legitima mixtio, & solidorum, vasorum imprimis, sufficiens elasticitas, & actio eorundem in fluida contenta, vt & fluidi neruei in partes influxus requiratur (§. 2, 3, 4, 5.) facile colligi potest, imminutam humorum quantitatem, vasorum elasticitatem & actionem eorundem in fluida, vt & fluidi neruei in partes influxum impeditum corpori virium defectum inferre, & debilitatem producere posse.

§. VII.

Dantur signa & simul causa, quæ virium destructionem indicant, & huc pertinet fluidorum prægressa euacuatio maior, vt sunt hæmorrhagiæ morbosæ, artificialesque, sudor, diabetes, saluatio nimia, diarrhoæ simultaneæ, diurna

turnæ & prodigæ. Et cum nullus fere morbus per longum tempus durare queat, quin partes corporis solidæ deterantur, fluidorum copia minuatur, & plurimæ functiones lædantur, quæ ingesta in corporis nostri naturam mutare debent: morbi diuturnitas inter eadem signa est referenda. Neque minus intermissa alimentorum ingestio, atque eorum in ventriculo & intestinis impedita adseruatio, digestio & abitus ad massam humorum sublatus inter causas debilitatis pertinent. Nam ut vires conseruentur, necesse est, ut ex ingestis cibis & potibus restituantur, quæ quotidie vitæ & sanitatis actionibus de corpore pereunt. Quod si igitur alimenta agris non exhibita, vel ab illis ob deglutitionem impeditam non ingesta, vel denique, si vel maxime adsumpta fuerint, vomitu vel alui fluxu e corpore eiciuntur, non potest non inde debilitas sequi. Et cum non sufficiat, quod cibi ingerantur, sed ut per vires ventriculi in corporis nostri naturam eminus mutentur, atque per vasa lactea sanguini misceantur: malam digestionem & impeditam ciborum intropulsionem pro signis virium defectus haberi posse nullum est dubium.

§. VIII.

Dantur quoque propria signa, quæ debilitatem indicant, ut pallor, macies, partium solidarum flacciditas, pulsus paruus, & vasa collapsa. Pallor defectum aut retractionem sanguinis ad interiora indicat, qui tamen adesse debet, si vires permanere debent (§. 2.). Pulsus paruus & vasa collapsa itidem penuriam sanguinis, aut turbatum eius motum qui arterias extendere debet, arguunt. Sic quoque partium solidarum flacciditas, liquidorum, quæ istas replere debent, inopiam,

inopiam, nutritionem impeditam atque actiones exercendi inertiam indicant.

§. IX.

Analeptica mihi sunt, media quæ vires languentes & amissas reficiunt & restitunt.

§. X.

Quando virium defectus ab humorum, sanguinis imprimis, inopia oritur, ea vires restaurabunt, quæ humorum sanorum & perditorum copiam requisitam restitunt. Jam ea, quæ vires restitunt, sunt analeptica (§. IX.). Ergo, quæ requisitam fluidorum perditorum quantitatem restitunt, sunt analeptica.

§. XI.

Quæ humorum perditorum copiam restituere debent, ita comparata esse debent, vt facultate corpus ægri nutriendi prædita sint. Jam ea, quæ fluidorum copiam deficientem restitunt, sunt analeptica (§. X.). Ergo ea, quæ ad corpus ægri nutriendum apta sunt, sunt analeptica.

§. XII.

Ad hanc classẽm analepticorum pertinent cibi molles, fluidi, corporis nostri liquidis iam similes, vt sunt iusecula carnis bubulæ, vitulinæ, ouillæ & gallinacæ, ex animalibus iunioribus defumtæ, ova, lac, atque ex eis parata, semina oleosa, mucilaginosâ, amygdalæ, pistacia & id genus alia.

B

§. XIII.

§. XIII.

In virium defectu viscera, vt ventriculus & intestina reliquaque ad sanguificationem necessaria destituta sunt vi ingesta ita mutandi, vt naturam corporis humani, vel eadem similem acquirere possint. Si quis igitur in virium defectu, qui ab inopia humorum oritur, ea corpori exhibere vellet, quæ nutriendi facultate quidem instructa sunt, sed maximos motus requirunt, vt in ægri corporis naturam mutantur: ille quidem nutrientia exhiberet, quæ tamen perdita liquida non restituerent. Qua de re si nutrientia vires perditas restituere debent, curandum est, vt talia eligantur nutrientia, quæ superstitæ adhuc viscerum actione, quamuis languida, subigi possunt, nec magnis motibus manducationis, digestionis gastricæ atque intestinalis indigent.

§. XIV.

Notum est, ventriculum valde debilitari, si alimenta maiori quantitate ingeruntur. Nunc in virium defectu ventriculus & intestina iam debilia sunt & infirma. Cauendum igitur est, ne larga analepticorum, quæ nutriunt, mole ventriculum oneremus & debilitatem eius iam præsentem augeamus. Qua de re quantitas analepticorum, quæ nutriunt, vna vice debet esse minor, illa, quæ in statu sano perferri potest.

§. XV.

Cum morbus sæpius virium defectum producat; in adhibendis analepticis eo respiciendum est, ne ea usurpentur, quæ morbo fomitem & causam vltiorem subministrant, id, quod fieri potest, si vel facile putrescunt, vel ad indolem

humorum morbosorum accedunt. Hac enim ratione morbus iam præsens & virium defectus, qui ab illo dependet, augetur, eiusque causa & symptomata crescerent.

§. XVI.

Morbi quidam præ aliis virium defectum producant. Ideo primo propria indoles humoris vitiosi est indaganda, qui in ægro prædominatur & peccat, & tum tale est eligendum analepticum, quod materiæ peccanti est oppositum.

§. XVII.

Interdum morbus, qui ab humoribus ad alcalinam naturam vergentibus oritur, in causa est, ut vires corporis prosternantur, atque id ex siti ingenti vix sedanda, appetitu prostrato, atque ab omni cibo abhorrente, fecibus alui solutis splendentibus, cadauerosis, fuscis, nigris, vrina crassa, fusca, spumescente, foetida, pustulis rubris, ichorosis, aliisque signis colligi potest. Nunc ea, quæ indolem alcalinam humorum corrigunt, vel eam ita mutant, ut non noceat amplius, vires ab ea debilitatas restaurabunt: quoniam actione causæ imminuta vel eadem plane sublata, effectus quoque imminuatur, vel tollatur necesse est. Jam ea, quæ vires amissas restaurant, audiunt analeptica (§IX.). Ergo in virium defectu, qui ab humoribus indolem alcalinam adeptis oritur, ea, quæ alcalinam humorum naturam corrigunt, vel ita mutant, ut non noceat amplius, sunt analeptica.

§. XVIII.

Quæcumque ex principio mucilaginoso constant, ea alcali inuoluunt atque iners reddunt. Nunc ea, quæ alcali ita mutant, vt non amplius noceat, sunt analeptica, si virium defectus humores ad indolem alcalinam accedentes pro causa agnoscit (§. XVII.). Ergo ea, quæ principio mucilaginoso prædita sunt, in virium defectu ab humoribus ad alcalinam indolem vergentibus producta, sunt analeptica. Talia sunt decocta seminum frumentaceorum, quæ prius leuissime tosta fuerunt, & longa cum aqua pura coctione ita præparata, vt prisana leuior, flos meracior, vel cremor paullulum spissior, aut plus crassior inde euadat. Pertinent quoque huc ea, quæ ex similibus præparatis & ex mica panis cum aqua constant, quæ vocantur panatæ, & ex medulla panis triticei vel secalini cum aqua in pultis formam cocta facta fuerunt. Neque minus ea, quæ ex auena præparantur, nec non omnia semina frumentacea bene matura, satis recentia, pura, moderate siccata, vt tritici, secalis, hordei, oryza, fagopyri, milii, tritu subacta, ita præparata, vt sapore gratissimo se commendent, & leguminosa semina, vt semina fabarum, phaseolorum, pisorum, lentium, cicerum, maceratione, coctione, tritu & leuissima tostione præmissa decenter præparata, huc sunt referenda. Emulsa denique & decocta amygdalarum, pistaciorum, seminis papauerini &c. huc pertinent.

§. XIX.

Medicamenta, quæ alcali destruendo illud in sal compositum blandum & meabile conuertunt, & quæ illud absorbent,

forbent, illud corrigunt. Ad priora pertinent acida fere omnia, ex regno animali serum lactis acidum & lac ebutyratum, ex regno vegetabili acetosa, acetosella, oxys trifoliata, cerasa acida, ribesia, tamarindi, fructus berberis, succus citri, limonii, aurantii, acacia, vinum Rhenanum, Mosellanum, acetum eiusque spiritus, tartarus, cremor eiusdem & crysalli, nec non ea, quæ acidum absorbent, terrea, vt lapides canerorum, conchæ, cochleæ, & id genus alia. Nunc ea, quæ alcali immutant & corrigunt, in virium defectu, qui morbum ab humoribus alcalicis ortum pro causa agnoscit, sunt analeptica (§. XVII.). Ergo medicamenta, quæ alcali destruendo illud in sal compositum blandum, meabile conuertunt, & quæ illud absorbent, in virium defectu, qui morbum ab humoribus alcalinis ortum pro causa agnoscit, sunt analeptica.

§. XX.

Dantur, quæ ex leui acido & simul ex mucilaginoso constant principio. Nunc ea, quæ ex mucilaginoso constata sunt principio, in imbecillitate, quæ ortum ex humoribus alcalinam indolem adeptis traxit, sunt analeptica (§. XVIII.) & ea, quæ ex acido constant sub iisdem circumstantiis quoque sunt analeptica (§. XVII.), quoniam acidum, si cum alcali miscetur illud in alienam plane transfert naturam, idque corrigit. Quam ob rem ea, quæ ex leui acido & principio mucilaginoso constant, in virium defectu, quem humores ad alcalinam indolem accedentes producunt, sunt analeptica; pertinent huc alimenta ex fructibus bene maturis, gratis, acido dulcibus, succulentis, recenteribus, in gelatinam versis, cum aqua coctis, & cum paulo

xillo panis incocti. Deinde preparata. Eiusmodi fructus sunt poma acidula, vinosa, cydonia matura, aurantia, pira acidula vinosa, pruna matura, ficcata, Gallica, Hispanica, Damascena, acido-dulcia, cerasa, mora, vua, vua passia, ribesia, rubi fructus, baccæ vitis, idæi, sambuci, ebuli, fraga &c. Porro alimenta, quæ ex fructibus mollibus pulposis diuturna coctione in aqua resolutis atque saporem gratiorem condimento adeptis, huc conueniunt: vt sunt cucurbitæ, melones, cinaræ capita, olera lactea, blanda acidula, vt brassica rubra, rapa, intyba, cichorea, portulacæ, acetosæ, scorzoneræ, tragopogona, sisara Lac quoque animalium herbis nutritorum, eius serum, lac defloratum, flos lactis, lac acidum, ebutyratum & similia huc recenferi possunt.

§. XXI.

Quod si morbus, qui virium defectum infert, pro causa acidum humorem agnoscit, id quod ex ructibus acidis, fame, morfu ventriculi, flatibus, spasimis, fecibus alui acidum spirantibus colligi potest: ea ad vires restaurandas apta sunt, quæ acidum corrigunt. Jam ea, quæ vires restaurant, sunt analeptica (§. IX.). Ergo in virium defectu, qui a morbo acidum humorem pro causa agnoscente oritur, ea, quæ acidum humorem corrigunt, sunt analeptica.

§. XXII.

Quæ acidum absorbent, vel illud in sal blandum mutant, illud corrigunt. Priora sunt lapides cancrorum & chelæ

chela cancrorum, concha, cochlea, magnesia alba, corallia rubra & alba &c. Posteriora sunt salia alcalia, saponacea, victus ex ovis & carnibus. Porro ea, quæ acidum obtundunt & diluunt, illud corrigunt, vt sunt oleosa & diluentia. Jam ea, quæ acidum corrigunt, sunt analeptica, si nimirum virium defectus oritur a morbo, quem acidus humor produxit (§. XXI.). Ergo ea, quæ acidum absorbent, illud in sal blandum mutant, vel obtundunt & diluunt, sunt in virium imbecillitate, quæ cum morbo, quem acidus humor produxit, coniuncta est, analeptica.

§. XXIII.

Quod si acrimonia muriatica præest morbo, qui vires debilitat, illa vires restaurabunt, quæ acrimoniam istam corrigunt. Jam ea, quæ vires restituunt, audiunt analeptica (§. IX.). Ergo sunt analeptica, quæ acrimoniam muriaticam in morbo vires debilitantem corrigunt.

§. XXIV.

Diæta insulsa, potus aquosus leuissime acidulus, spirituosus, medicamenta emollientia, farinosa, deluentia, siue ea, quæ (§. XVIII.) descripta fuerunt, & salis condimento priuata, nec non lixiuiosa corrigunt acrimoniam muriaticam. Jam ea, quæ acrimoniam muriaticam corrigunt in virium defectu ab illa proueniente, sunt analeptica (§. XXIII.). Ergo diæta insulsa, potus aquosus leuissime acidulus, spirituosus, medicamenta emollientia, farinosa, diluentia, siue ea, quæ §. XVIII. descripta sunt, & salis condimento priuata, nec non lixiuiosa in virium defectu a morbo,

morbo, acrimoniam muriaticam pro causa agnoscente, orto, sunt analeptica.

§. XXV.

Aliquando in morbo, qui vires prostermit, prædominari videtur oleosum acre. Hinc illud, quod oleosum acre corrigit, vires restaurabit, quæ a morbo, quem istud produxit, defectæ fuerunt. Jam tale est analepticum (§. IX.). Ergo illud in virium defectu, qui a morbo acre oleosum pro causa agnoscente oritur, est analepticum, quod illud corrigit.

§. XXVI.

Victus ex insulsis, insipidis, farinosis oleribus, fructibus, acidulis & cibis leuissime acidulis, potus ex aqua & oxymelle dilutissimo vel decocto fructuum, saponacea, sed leniter acescentia, vt mel, manna, cassia, saccharum, succi recenter expressi fructuum horæorum, maturorum, aut olerum quorundam, in virium defectu, qui ab acri oleoso oritur, sunt analeptica.

§. XXVII.

Non numquam in morbo, qui virium defectum infert, prædominatur nimia fluiditas. Hinc illa restaurabunt vires, quæ fluida inspissant. Jam quæ vires restaurant, sunt analeptica (§. IX.). Ergo in virium imbecillitate a morbo, in quo nimia fluiditas humorum peccat, proueniente inspissantia sunt analeptica. Et eadem ratione facile demonstrari potest, quod in debilitate, quam morbus a spissitudine humorum

morum proueniens producit, ea sint analeptica, quæ humores spissos attenuant, vt diluentia & resoluentia.

§. XXVIII.

Virium defectus a debita solidorum, vasorum imprimis, elasticitate, vel eorundem in fluida propellenda actione imminuta oriri potest (§. VI.). Nunc sublata causa, tollitur effectus. Hinc id virium defectui medetur, easque restaurat, quod vel debitam solidorum, vasorum imprimis, elasticitatem, vel eorundem in fluida propellenda actionem imminutam restituit. Jam id, quod vires restaurat, est analepticum (§. IX.). Ergo si virium defectus a debita solidorum, vasorum imprimis, elasticitate, vel eorundem in fluida propellenda actione imminuta oritur: id est analepticum, quod sufficientem solidorum, vasorum imprimis, elasticitatem, vel eorundem in fluida propellenda actionem imminutam restituit.

§. XXIX.

Quæ ad contactum cum fibrillis nimis flaccidis vasorum fortius cum istis coherent, easque reddunt rigidiores, illa debitam solidorum, vasorum imprimis, elasticitatem augment. Qualia sunt, quæ ex partibus terrestribus, austeris & subacidis constant, & in materia medica sub nomine subadstringentium, traumaticorum & absorbentium existant: speciatim pira, & poma, cydonia, punica, fructus leniter acerbi, corni, arbuti, mespili, glans quercina, ber-

C

beris,

beris, myrti, acacia, rosa, sorbi, herba pentaphylla, tormentillæ, lapatha, plantago, portulaca, pimpinella, bistorta &c. Flores granatorum, rosarum, cortices granatorum, peruuiiani, tamarisci, radic. capparidis, mastiche, sanguis draconis, lacca, vina austera, concha, cochlex, mandibula lucii piscis, dentes apri, crystallus montana, corallia, boli & martialia. Nunc ea, quæ vasorum deficientem elasticitatem augent, analeptica sunt, si nimirum virium defectus a vasorum elasticitate imminuta prouenit (§. XXVIII.). Ergo ea, quæ ad contactum cum fibrillis nimis flaccidis vasorum fortius cum istis coherent, easque reddunt rigidiores, sunt analeptica, si virium defectus ab imminuta vasorum elasticitate prouenit.

§. XXX.

Notandum est, quod analeptica, quæ §. præced. recensui, admodum circumspæctum exigant vsum. Numquam enim sola, nec in maiori quantitate sunt adhibenda, sed cum aliis remixta, quoniam non solum lacteorum vasorum orificia, sed alios quoque ductus sè- & excretorios, immo vasa ipsa constringunt, atque hac ratione multorum malorum fomitem & causam subministrant. Experientia hoc confirmat, quippe quæ docet, ab eiusmodi remediis, quæ elasticitatem vasorum nimis augent, eaque constringunt, si in nimis vomitionibus, hæmorrhagia narium, vteri, ani, hæmoptysi, mictione cruenta vsurpata fuerunt, innumera damna corpori fuisse inducta, vt febres lentæ, cachexia, tumores oedematosi, adfectus spasmodici, colici & hypo-

hypochondriaci. Interea tamen talia necessaria esse iudicantur, tum, quando corpus nimia debilitate laborat vna cum pallore, frigiditate, torpore, colluuiē serosa & flacciditate corporis notabili, & vbi hæ circumstantiæ adfunt, ea non simul & semel, sed successiue atque in remiffiori dosi & cum sufficiente liquido & corporis motu sunt propinanda.

§. XXXI.

Actionem solidorum, vasorum imprimis, in fluida propellenda augent, quæ sensationem in iisdem efficiunt, vt sunt ea, quæ ex sale subtili acri balsamico constant, & tenui volatili stimulante principio neruus adficiunt. Talia sunt vina & aceta tam simplicia, quam aromatica facta, spiritus vegetabiles, vel fermentatione parati simplices, vel aromaticum odoribus pleni. Pertinent huc quoque medicamenta, sic dicta cephalica, neruina, vt lignum aloes, eius resina atque essentia, agallochum album, santalum citrinum, eiusque essentia, ambra grysea, opobalsamum, succinum, benzoe, styrax calamita, styrax alba, ladanum eiusque resina, balsamum de Peru, de Copaiua, Americanum rubrum, caryophylli, cinnamomum, cardamomum, dictamnium, galanga, hyssopus, iuniperus, lauendula, laurus, mentha, maiorana, marum, ocymum, pulegium, ruta, salvia, serpillum, thymus, cubebæ, macis, spica, melissa Turcica & nostra, cortices aurantiorum, citriorum, limoniorum, flores borraginis, betonica, liliorum conuallium, & ex his distillata olea fragrantissima vera & balsama, vt balsamum apoplecticum Crollii, Cellense, Scherzeri, balsamum

mum vitæ Hoffmanni, aliaque ex his innumerabilia pro arbitrio artificis composita, quo aquæ stillatitiæ aromaticæ simplices, compositæ, elæosacchara varia, spiritus aromatici oleosi, salia volatilia oleosa, aromatica, essentiæ & tincturæ cum alcohole ex fragrantissimis herbis & aromatibus paratæ pertinent. Porro huc referri possunt gummi ammoniacum, bdellium, elemi, galbanum, myrrha, opoponax, sagapenum, asa foetida, castoreum & camphora. Nunc ea, quæ actionem vasorum in fluida restituunt, vel augment, sunt analeptica, si nimirum virium defectus ab eiusdem imminutione dependet (§. XXVIII.). Ergo omnia ista, quæ nunc recensimus, sunt analeptica in virium defectu, qui ab actione solidorum, vasorum imprimis, imminuta oritur.

§. XXXII.

In apoplexia, paralyfi, stupore, sensuum torpore, memoriæ debilitate, auditus difficultate debita solidorum & vasorum actio est debilitata. Sic quoque interdum ventriculi inflatio, diarrhoea, colica flatulenta, vomitio, tusses humida, asthmata pituitosa, tumores oedematosi, coryzæ, rheumatismi, imprimis si tempestatis constitutio humida & frigida accedit, ut tempore hiemali & vernali, ab eadem oriuntur causa, nimirum ab atonia solidorum. Cum vero sublata causa morbi cesset effectus, id est, morbus ipse & horum malorum causam tollant, quæ solidorum actionem restituunt, vel augment, eaque sint analeptica (§. XXXI.): patet, analeptica §. XXXI. recensita perite adhibita in morbis enumeratis magnum præstare emolumentum.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Modus adhibendi analeptica, quæ §. XXXI. recensimus, varius est. Vel enim sub forma halituum, vti ex corporibus prodeunt, naribus adplicantur, quorsum pertinent herbæ odoratæ omnes, vt viola, lilium conuallium, lilium album, tuberosa, rosa, caryophylli, spiritus salis ammoniaci, aromatica olea per se, vel in spiritu vini soluta & cum spiritu Salis ammoniaci commixta, aceta medicata, ambra, zibethum, moschus, castoreum, asa foetida, de quibus quinque vltimis tamen notandum est, quod sæpius ob idiosyncrasiam feminis imprimis propriam non possint adhiberi. Deinde vsurpari solent sub forma fumigii, & talia sunt gummata omnia cephalica dicta, imprimis gummi anime, mastiches, iuniperi, succinum, olea destillata in spiritu vini soluta & carbonibus iniecta. Porro adplicantur sub forma puluerum sternutatoriorum, qui parantur ex herbis cephalicis ficcis, præsertim ex maiorana, lilio conuallium, melissa, serpillio &c. Lingua denique quoque imponuntur & masti- cantur, & huc referri merentur gummata aromatica, vt myrrha, radices, cortices & fructus cephalici, stomachici, vt radix calami aromatici, galangæ, helenii, pyrethri, zedoaria, cortices citri, aurantium, cinnamomi, semen anisi, carui, caryophylli, cubebæ, cardamomum. Aliis partibus, iis præsertim, vbi vasa non profunde sita sunt, sub forma balsamorum, linimentorum & epithematum ex oleis destillatis, spiritibus & aquis destillatis compositorum.

§. XXXIV.

Caute tamen mercandum cum eiusmodi analepticis, si corpora succis & sanguine plena & cholericæ sensibilibioris indolis sunt. Facile enim tunc excitantur motus, qui ad destructionem corporis tendunt, imprimis, si larga in quantitate porriguntur, id, quod quotidiana docet experientia. Eadem quoque cautela observanda est, immo usus talium analepticorum plane exulare debet, si inflammatio actu præfens est, vel imminet, pori cutis sunt obstructi, & calor fumus cum pulsu duro atque celeri adest. In omnibus enim istis casibus maior sanguinis exæstatio sequitur, & homo periculo mortis exponitur.

§. XXXV.

Interdum sanguinis & humorum quantitas iusto maior solidorum actionem impedit, & corpori infert lassitudinem viriumque defectum: id, quod in plethoricis observamus. Nunc cessante causa cessat effectus. Hinc id actionem solidorum in minutam restituat, eamque augeat, quod nimiam humorum copiam euacuat. Nunc, id præstant euacuationes tum naturales tum artificiales, & inter has potissimum venæ sectio. Porro id, quod solidorum actionem restituit, vel augeat, est analepticum (§. XXVIII.). Quid igitur certius est, quam euacuationes, tum naturales, tum artificiales, & inter has venæ sectionem imprimis, analeptica esse remedia, si virium defectus a nimia humorum abundantia oritur.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Virium defectus oritur a liquidi neruei in partes ita dicto influxu impedito (§. VI.). Nunc cessante causa, cessat effectus. Quam ob rem illud virium defectum tollit, seu vires amissas restituit, quod liquidi neruei in partes influxum impeditum remouet. Jam id est analepticum, quod vires amissas restaurat (§. IX.). Patet ergo, illud esse analepticum, quod liquidi neruei in partes influxum interceptum remouet atque eundem restituit, si virium defectus a spirituum neruorum influxu impedito proficiscitur.

§. XXXVII.

Quodsi liquidi neruosi influxus interceptus ab eiusdem inopia proficiscitur, eiusdem influxus restituitur, restituta eius sufficienti secretionem & copia. Jam id, quod impeditum liquidi neruei in partes influxum in virium defectu ab illo proueniente restituit, est analepticum (§. XXXVI.). Ergo id est analepticum, quod secretionem spirituum neruorum sufficientem & copiam restituit, si virium defectus ab hac proficiscitur causa.

§. XXXVIII.

Dantur, quæ sanguinis laudabilis copiam restitunt, quibus recensendis superfedere possum cum de iis §. XXII. iam dictum fuerit. Nunc ea, quæ sanguinis quantitatem restitunt, apta sunt, ut spiritus animales sic vocati debita in quantitate exinde gignantur. Cum vero ea sint analeptica (§. 37.),

ea

ea quoque eodem nomine insigniri possunt, quæ sanguinis laudabilis copiam restituunt, si virium defectus ab imminuta fluidi neruei secretionem & copia prouenit.

§. XXXIX.

Impeditus liquidi neruei in partes influxus interdum a canalium istud vehentium elasticitate & actione imminuta prouenit. Quæcumque ergo neruorum elasticitatem & actionem imminutam restituunt, vt stimulantia & roborantia, illa impeditum liquidi in partes influxum restaurat. Jam id quod impeditum liquidi neruei in partes influxum restaurat, in virium defectu, qui ab illo ortus fuit, est analepticum (§. XXXVI.) Ergo ea, quæ neruorum elasticitatem & actionem imminutam restituunt, vt sunt roborantia & stimulantia, in virium imbecillitate ab impedito liquidi neruei influxu inducta sunt analeptica.

§. XL.

Varia huius classis remedia huc pertinent, sed quoniam de iis satis multa §. XXIX. & XXXI. dixisse arbitror, superuacaneum duco, ea huc repetere, vel plura adicere. Potius aliqua de sex rerum non naturalium vsu moneam, quatenus nimirum ille ad vires reficiendas aptus fit & eua-dat.

§. XLI.

§. XLII.

Aërem pro varia ipsius ratione varia inducere corpori bona & mala, notum est. Sic aër nimis calidus, humidus, levis corpori infert debilitatem, cuius rei rationem reddere nec volumus, nec possumus. Quod si ergo ægri vires sunt restaurandæ, curandum est, vt aëre mediocriter calido, sicco & graui vtatur.

§. XLII.

Animi pathemata, ingrata potissimum, somnum excedentem vel deficientem, corporisque motum neglectum corpus debilitare, experientia docet. Qua de re ad vires ægrorum restaurandas animi pathemata vel nulla, vel nonnisi grata, somnus & corporis motus sufficiens conducunt.

§. XLIII.

Maxima cautela & attentione opus est, si analeptica in morbis adhibere volumus. Nullum enim remedium absolute & simpliciter analepticum dici potest, quoniam eiusdem vsus a varia debilitatis causa dependet. Quæ liquidorum perditorum copiam restituunt, sunt analeptica (§. XI.). Sed tantummodo tunc, si nimia præcesserunt euacuationes.

D

In

26 DE ANALEPTICIS EORUMQUE VSV.

In aliis circumstantiis plus nocent, quam prodesse. Aliquando in morborum acutorum initio & debilitate subito a nimia sanguinis copia vel rarefactione producta venæ sectio instituta vires restituit, & analepticum est remedium, quæ tamen in morbi fine admodum obesse. Sæpius vero virium defectus malum est insuperabile, quod frequenter contingit. Dum enim nimix fiunt in corpore euacuationes, eæque compesci nequeunt, vti sunt sudores colliquatiui & diarrhoæ nimix, analeptica nullius sunt vsus, si vel sint decantatissima.

F I N I S





NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

HENRICVS BASS,
Med. & Chir. Doctor ac Prof. Publ.



Facere non potui, quin Tibi in publicum
prodeunti & summos in arte medica ho-
nores assequenti mentem meam signifi-
cem benevolam, &, quanti Te faciam,
publice declarem. Ab eo enim tempore, quo in
meam pervenisti notitiam, Tuam semper singu-
larem cum morum probitate coniunctam in arte
salutari excolenda perspexi diligentiam, & Te
non diligere solum, sed de Tuorum etiam studio-
rum successu optime sperare coepi. Accidit de-

D 2

inde,


inde, ut nos eadem domus per satis longum tempus & quotidiana coniungeret consuetudo, quæ non effecit solum, ut melius mihi innotesceres, sed spem etiam, quam de Te conceperam, magis confirmavit, immo plane superavit. Sive enim de morbis iisque medendi methodo prælegerem, sive chirurgiam tum medicam tum cum instrumentis & operationibus occupatam docerem, assiduam semper Te habui auditorem sedulitate nulli concedentem, plurimis autem palmam præeripientem. Atque ita Te gerendo maximos in Tuis litterarum studiis fecisti progressus atque haud poenitendos diligentiae Tuae fructus es consecutus. Gratulor ergo Tibi felicem studii medici decursum absolutum, & honores, qui Tibi decreti sunt, in arte medica summos. Faxit Numen supremum, ut omnia Tua conamina in posterum prospere succedant atque ut in aegrorum, qui Tuae committentur curae, salute restituenda secunda utaris fortuna.

Halae Magdeburgicae d. xxx. Aug.

M D C C X L V.



Nobi-



NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

J. G. KRÜGER.

Non committam, ut, quod aliis ex auditorum meorum numero prestiti, gratulationis officium in Te desideretur. Dicam, quod res est. Laudabilem in Te semper deprehendi proficiendi conatam. Collegiis enim meis & physicis & medicis assiduus & indefessus adfuiti auditor, cuius rei ut spero Te nunquam poenitebit. Eadem namque ratio est medicine cum aedificio, quod corrui, si fundamento destituitur, pbysicam vero medicine fundamentum esse, neminem negaturum esse, existimo. Frequentasti præterea celeberrimorum in nostra academia doctorum acroases, unde sperare licet & plane considerare, fore, ut omnes Tui conatus & labores in veram gen.ris humani cedant felicitatem. Inauguralem dissertationem felicem Tibi tam auguror, quam gratulor & si officiorum quid in Te a me profisci potest, illud certissime expecta. Sic patriæ & Deo commendatus vale rectissime. Dabam in Fridericiana, d. xxx. Aug. MDCCXLV.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

D. ERNEST. ANTON. NICOLAI,

Opponens.


Jam dudum laudabilis, qua amicus amico fortunam eiusdem gratulor, invaluit consuetudo atque istam nunc observandam esse duxi, cum Tibi summi in arte medica honores fuerint decreti, mihiq; Tua per satis longum tempus amicitia frui licuerit. Noli igitur mirari, me amicorum, qui Tibi hodierno die plaudunt & felicem vitæ academicæ finem gratulantur, numero accedere & palam restari, quantam mihi ornamenta illa & præmia a gratioso medicorum ordine Tibi conferenda afferant delectationem. Quartus, ni fallor, iamiam præterlapsus est annus, ex quo in hacce celeberrima musarum sede es commoratus. Non festinasti & cursu aliquo emensus es medicinæ particulam, sed philosophiæ & matheseos præceptis satis præparatus ad medicinam accessisti eamque excoluisti. Quantum autem in ista profeceris, Tua docet dissertatio, utpote ex qua quilibet Tui ingenii magnitudinem metiri & non nisi bona eaque maxima de Te augurari potest. Gratulor Tibi igitur optatos in arte salutari progressus atque honores hodie Tibi conferendos, optans simul, ut artis exercitium ex voto succedat. Vale mihiq; fave. Dabam Halæ Magdeb. d. xxx. August. MDCCXLV.

Zwey



Swey Worte hab ich Dir, geehrter Freund, zu
schreiben,
Leb wohl und liebe mich, ich will Dein Freund ver-
bleiben.

J. C. Weinschenck.
aus Magdeburg.



Die Freundschaft wird gerührt, und greift nach Blat und
Kiel,
Und spricht die Dichtkunst an, daß sie ihr schmeich-
lend Spiel
Für Dich, mein Freund, bewegt, um Dir die frohen Pflich-
ten,

Den wohlgemeinten Wunsch gebührend zu entrichten.
Denn heute sah sie Dich mit Lorbeer-Steis geschmückt,
Das Medicinens Hand für ihre Söhne pflicht,
Des Fleisses grüne Frucht. Wen so die Weisheit ehret,
Wer so ihr Liebling ist, wen ihre Brust ernähret,
Ihr Eifer endlich keubt: braucht zwar der Blätter nicht
Die ihm der Freunde Hand in seinem Hauptschmuck pflicht,
Wird durch sich selber gros; wenn dort sein Geist gedenket,
Vom Staube über sich ans blaue Feld gelenket
Welt und Natur erforscht, den Himmel selber schmeckt,
Den Irthum, Nacht und Wahn der niedern Schaar verdeckt,

Co

So wächst zugleich sein Glück; so wird auch Deines grünen,
Wär heute gleich mein Rohr mit keinem Lied erschienen.
Indessen nimm den Wunsch, der Brauch begehret ihn,
Noch mehr die Redlichkeit die ihm den Werth verleiht.
Denn wird ihn Gott und Zeit bald in Erfüllung bringen:
So wird das Glück sich um Deine Freundschaft dringen.

Georg Ludewig Francke,
aus Havelberg, der Gottesge-
lehrtheit Befüssener.



01 A 6529

ULB Halle
002 928 701

3



Edward





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,

DE

ANALEPTICIS
EORVMQVE VSV,

QVAM

CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI,

PRÆSIDE

DN. MICHAELE ALBERTI,

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS PRUSSICÆ AVLICO ET CON-
SISTORII QVOD MAGDEBVRGI EST CONSILIARIO, MEDI-
CINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATVRALIS PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO, FACVLTATIS
MEDICÆ SENIORE.

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS.

AD D. AVGVSTI MDCCXLV.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

SAMVEL GOTTLIEB PIETSCH,
GLOGAVIENSIS.

HALLE MAGDEBVRGICÆ,
Imprimebat CHRISTOPHORVS PETRVS FRANCK, Acad. Typ.